

CAPUT IX.

COMITES DE PUCHAIM.

Puchaimiæ gentis illustrissimæ pariter ac vetustissimæ, cui Franciscus Antonius exemptæ Neostadiensis Ecclesiæ Episcopus, fatis sic volentibus, finem aliquando, utinam serò, impositurus est, in antiquis monumentis crebra mentio occurrit. Pilgrinus & Hartmannus de Puechaim ab Ottocaro Marchione Styriæ in foundationis litteris Monasterii Garstensis Anno 1108. datis, inter testes primo loco collocantur. (a) Conradus de Puchaim testis fuit in instrumento donationis Cremifanensi Ecclesiæ à Diepoldo Pattaviensi Episcopo Anno 1173. factæ (b). Ottocarus Rex Bohemiæ officium Dapiferatus in Weldtsperg / Alberoni de Puechaim contulit Anno 1276. (c) Henricus Abbas Lambacensis eidem Alberoni de Puchaim villam in Blanckensfeld / Anno 1277. vendidit. (d) Albertus, cujus titulus tunc erat, Dei gratia Comes Habspurgi & Kiburgi Landgravius Allatiæ Illustris Romanorum Regis primogenitus & ejusdem per Austriam & Styriam Vicarius generalis, feudum in Ischell Alberoni de Puchaim contulit, hisce ulus verbis, *attendentes grata & fidelia ejus obsequia ad mandatum Serenissimi Patris & Domini nostri, quod sibi de aliquo Castrensi feudo, sicut honori suo congrueret deberemus liberaliter providere in feudum castrum inclusa cum officio & proventibus bonorum in Ischell dedimus datum Vienna cal. Julij 1280,* (e) Rudolphus I. Imperator eidem Alberoni sive Alberto Puechaimio officium Dapiferatus in Austria per sententiam adjudicat, Anno 1290. (f) Ulricus Comes de Pfannenberge eidem bona quædam in Styria sita, Anno 1296. in feudum contulit. (g) Conradus de Pillichdorff eundem Alberonem de Puchaim in pristinam amicitiam recepit, testantibus Friderico & Johanne Stubenbergiis An. 1297. (h) Idem Conradus Pillichdorffius omnibus prætensionibus contra Alberonem Puchaimium institutis Anno 1297. renunciat præsentibus Friderico & Henrico fratribus de Stubenberg. (i) Rudolphus Dux Austriæ & Styriæ sæpiùs dicto Alberto Puchaimio hæreditarii per Austriam Dapiferi officium An. 1301. in feudum confert. (k) Ab Alberto autem primo Romanorum Rege Comitatus Lavenz in Hungariâ sita Streniis Viris (sunt verba diplomatis) Pilgrino & Alberto de Puchaim in feudum concessa est Pragæ Anno 1306. Regni Imperatoris Anno nono. (l) Conradus de Werder Jura quædam & decimas in Mahlebern / Pilgramo Puechaimio Anno 1317. cessit, cui eodem An.

An.